



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 27. Quinam clarioris generis homines Romam pro anno sæculari
confluxerint

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

§. XXVII.

Sæcul. XV.
A C. 1450.

*Quinam clarioris generis homines
Romam confluerint?*

Nicolaus Papa plurimos genere, ac dignitate clarissimos excepit Viros, qui Romam devotionis gratia peregrinati sunt, Indulgentiarum Thesauro potituri. Inter ceteros numerantur Jacobus Archiepiscopus, & Elector Trevirensis, qui etiam a Pontifice impetravit facultatem instituendi Treviris Universitatem; aderant quoque Conradus Episcopus Metensis, & Guilielmus Comes Duglassius potentissimus Scotorum Dynasta, qui tamen in absentia sua apud Regem accusatus, quod Regnum sibi adsciscere quæreret, festino pede domum redire coactus est, causam suam ibidem dicturus; cum vero insolentius erga Regem se gereret, poenas gladio luit, sive propria Regis manu confossus, ut nonnulli habent, sive ut alii, capite plexus. Ut ut res se habeat, id certum est, inde civile, ingensque bellum enatum, quo pene Rex oppressus est, sed consiliis ac prudentia Jacobi Episcopi S. Andreae & vicit rebelles, & ceteros sibi concilia- vit. Petiit etiam Romam Jubilæi causa Comes Ciliæ in Styria ad Carniolæ confinia, jam nonagesimum ætatis suæ annum agens. Princeps iste omni vitio-

*Boet. l. 18.
Buchan. l. 11.*

*Æn. Sylv.
Europ. c. 21.*

R 4

rum

Sæcul. XV. rum genere inquinatus, crudelis, in libi-
 A. C. 1450 dinem propensus, raptor, impius, ac Re-
 ligionis contemptor, Roma reversus ni-
 hil melior apparuit, sed ut alter Sarda-
 napalus mortem vitæ consimilem obiit.

§. XXVIII.

S. Bernardini Senensis Canonizatio.

Non minor gloria, quam numerus Mi-
 raculorum, quæ indles ad Bernardi-
 ni Senensis sepulchrum perpetrata audie-
 bantur, adeo omnium Senensium corda
 permovit, ut junctis studiis cum Aqi-
 lejensi civitate, in qua sanctus die vige-
 sima Maji Anno millesimo quadringente-
 simo quadragesimo quarto obiit, Virum
 in numerum Sanctorum referri supplica-
 rent. Jam tempore Eugenii IV., qui
 ipsemet vitæ Bernardini tam Ferrariæ,
 quam Florentiis, & Romæ testis ocularis
 exstitit, ejusdem mores, & miracula plu-
 ries discussa fuere; Nicolaus quoque
 urgente Sancto Joanne Capistrano sole-
 mnes processus, ut vocant, continuari
 curavit, quibus debite absolutis idem Pon-
 tifex ipsa die Pentecostes, quæ erat vi-
 gesima quinta Maji hoc anno millesimo
 quadringentesimo quinquagesimo (*)

Bernar-

*Bullar. to. 2.
 Nicol. IV.
 Const. II.*

(*) Non prætermittendam hic loci censeo